



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De verò cultu ac veneratione Christi Domini in hoc Sacramento 70

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

rorum suorum, absque vera fide in Christum in apertis sceleribus & flagitiis perseverant, omnia mala propellat, & omnia bona tam ad presentem, quam ad futuram vitam adferat. Hoc est quod liber Reformationis reprehendit.

Rursus igitur manifesta Calumnia est, quod Aduersarij scribunt, Librum contendere, quod illi omnes hoc sacramento abutantur, qui presentes assisterint, nisi sacramentaliter simul communicent: atque etiam ij, qui coram sacramento isto in genua prociderint. Hec enim nullibi in toto libro eiusmodi nudis verbis posita reperiuntur. Sed docet Liber, eos demum hoc sacramento abuti, qui sine poenitentia peccatorum, sineque vera fide in Christum sacramenti istius administrationi & tractationi adstant, sacramenta intuentur, & externis seruitiis venerantur: sibi quoque persuadent, se per hanc externam quantumuis impoenitentem & infidelem assistentiam, contemplationem, ac venerationem, gratiam Dei cum temporali & aeterna benedictione promerituros. Hoc docet liber Reformationis pro abusu agnoscere, horrere ac fugere, non autem quemadmodum Aduersarij falso ei attribuunt.

*De verocultu ac veneratione Christi Domini in hoc Sacramento*

CAP. LXX.

**R**ORÒ quò certius simplices ac rudes homines intelligant, quæ sit veneratio Christi in hoc Sacramento, eiusque honorificus usus, primùm omnium probe cognoscendum est, quid venerari proprie significet, & quæ sit vera veneratio ac cultus Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi. Ex quibus cognitio etiam elucebit, Quomodo Christum in S. Cœna rectè colere debeamus.

Venerari igitur nihil aliud est, quam his quos honore quis afficere vult, benevolentie ac preclaræ de ipsis existimationis signa demonstrare. Cuiusmodi sunt, Prædicare aliquem verbis, genuflectere, procumbere, & talibus signis obedientiam erga eos declarare, dona ac munera offerre, solennes memorias ac spectacula instituere. Hæc omnia peculiaris benevolentie & existimationis indicia sunt. Quibus igitur ea exhibentur, eos etiam honore affici certum est.

Iam verò sicut hi quibus honores deferuntur, diuersi sunt: ita diuersa quoque sunt honoris & reuerentie signa. Qui superiores nobis sunt, eos alia ratione honoramus, quam vel inferiores, vel æquales. Sic etiam aliter summos magistratus veneramus, aliter eos qui sunt inferioris ordinis. Quosdam sola capitis nudatione, & inclinatione corporis, alios flexione genuum, alios penitus in terram procidendo, manus osculando, aliisque id genus seruitiis ac reuerentie signis veneramus. Ad eundem modum volentes alicui honoris gratia dona & munuscula offerre: ibi quoque discrimen obseruamus, & unicuique id quod ei maximè congruum esse, & acceptum gratumque fore iudicatur, in honorem offerre solemus. Magnis principibus magna quoque dona datur, si non dignitate ac valore suo, saltem estimatione & acceptatione eorum, quibus offeruntur. Cum enim veneratio debeat esse singularis benevolentie & existimationis declaratio, pru-

dentes homines, quando muneribus aliquem honorare volunt. Primū omnium voluntatem ac studium illius considerant. Si enim rebus bellicis, vel arte equestri delectatur, equum ferocem ac bellicum ei potius donant, quam lenem aliquem gradarium vel etiam mulam. Si verò venerationis studio capiatur, canem venaticum potius & accipitrem, quam tenerum aliquem catellum, aut suauiter canentem lusciniam. Consimili modo & in aliis muneribus ac donis se gerunt.

Cum igitur naturæ instinctus doceat, vnicuique honorem exhibendum esse, pro exultatione ac pretio in quo habetur, item in veneratione primum omnium considerandum esse, quibus rebus delectetur is, quem honore afficere proposuimus: Deus autem & redemptor noster Christus supremus omnium sit, ac solus omni honore dignus, imò tantæ sublimitatis ac celsitudinis, vt nihil habeamus, quo dignum illi honorem exhibere possimus, certè in cultu Diuino ante omnia eò respiciendū erit, Quomodo velit à nobis coli, & quid ei à nobis præstitum gratum & acceptum esse queat.

Sacram itaque scripturam, ex qua sola hac de re certiores reddi possumus, propius intuentes, inuenimus. Deum ac Dominum nostrum talem à nobis honorem & cultum postulare. Primum vt ei in verbo suo veram & indubitam fidē adhibeamus: eamque liberè profiteamur, nimirū auida auditione, diligenti meditatione, ac fideli obseruatione mandatorum eius: grata vsurpatione sacramentorū, denique plena traditione nostri in obedientiam illius, in omni vita ac conseruatione nostra. Vbi hæc quoque venerationis signa continentur, vt in annunciatione ipsius, honorifica cōmemoratione nominis eius, auditione verbi illius, celebratione sacramentorū, gratiæ deniq; & auxiliij eius imploratione, seipsū inclinare, genua flectere, vel penit<sup>9</sup> in terrā procūbere, manus & oculos ad cœlū attollere, dona atq; oblationes vouere & offerre.

Quibus omnibus hoc quoque coniunctū est, dona & oblationes Dei eleganter, purè & honorificè adferre, instrumenta verbi Dei & sacramentorum solenniter apparare & vsurpare, quemadmodum magnorū Principum cubicula & vasa, aliāque omnia quibus vtuntur, singulariter ornari solent. Vbi tamen non dicitur, cubicula vel vasa per se honorari, sed ornari in honorem Domini.

Ex eiusmodi venerationis proprietate permisit Dominus antiquo populo suo, vt sibi in honorem primò Tabernaculum, deinde templū, altare, & omnia vasa mystica auro, argento, gemmis, serico, aliisque id genus ornamentis ornarent: acceptauit quoque quod coram arca fœderis procidebant, ad eamque sicut etiam in cœlum, manus & oculos attollebant, promptamque obedientiā erga ipsum iuxta verbum illius, & sicut se patefecerat, colique mandauerat, hac ratione profitebantur ac declarabant, cum ardenti desiderio auxiliij eius & imploratione.

Iam verò in nouo Testamento Dominus neque de Templo, neque vllis aliis instrumentis religionis, sicut in veteri, vel vnum præceptum dedit. Ille ipse & Apostoli domos & vasa communia ad sacros conuentus & religionis exercitia vsurparunt: & vbiunque homines in no-

mine

mine suo cōueniant, ibi se in medio eorum fore promisit. Adhęc dixit, Aduenisse tēpus, quo veri adoratores, neq; in Hierusalē, neq; super mōtē Garizim (nec vllius alterius tēpli deinceps ædificandi meminit) adoraturi sint, sed in spiritu & veritate, quocunq; tandē in loco id fiat.

Ex quo consequitur, Nos de ea veneratione Dei quæ ornādis instrumentis religionis, siue ea templa sint, siue templorū vasa mystica, præstat, nullum neque mandatū, neque exemplum Domini vel Apostolorum eius habere, sed potius contrariū. Nā Christus ipse & Apostoli ea quā simplicissimē & quemadmodum in communi vlu versabantur, suis sine vlla singulari pompa & ornatu vsurparunt, sicut multi S. Patrū post eos fecerunt, idque tanquam Christianæ professioni proprium magisque decorum approbarunt.

Cū igitur hac de re neque præceptū, neque exemplum habeamus, nemo sibi certō persuadere potest, gratū & acceptum Deo cultum esse, sumptuosa tēpla extruere: eaque eleganter ornare, aureasque & argenteas patinas, calices, sacraria, & id genus alia pro sacramentis intruere. Imō qui diligenter considerare volet, quæ sit Christianæ professionis proprietas ac natura, is facillē cognoscet, Omnia inter Christianos ita instituenta & vsurpanda esse, vt humilitatem crucis, contemptum mundanorum omnium, studiūque cœlestiū rerū præ se ferant: id tantō magis, quā in veteri populo, quantō clariū spirituale & cœlestē conuersationē Dominus nobis quā antiquo populo reuelauit. Hinc est, quod D. Hieronymus, & alij S. Patres, eos quos ad singularem vitam spiritualem, cultūque Dei erudire voluerunt, ab eiusmodi externa pompa templorūque & vasorum corporali ornatu, sint dehortati.

Legatur id quod scripsit Hieronymus ad Nepotianum, ad Rusticum Monachum & Demetriadem: item quæ Bernardus in Apologia.

De aliis reuerentiæ & honoris signis, vt sunt genua flectere, in terrā se prosternere, manus & oculos in cœlum attollere, quod ea vel antē vel erga panem & calicem Domini exhiberi debeant, nec exemplum nec mandatū habemus Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum eius, sed potius contrariū. Nam D. Iesus Sacramentum hoc discipulis suis cū pro more discubissent, dedit ac dixit, *Accipite, comedite, bibite.* Quicquid verō sumitur, & uestigio comeditur, bibiturque quemadmodum discipuli fecerunt, id certē nemo hominibus exponet, vt coram eo se prosternant, in eoque Christum Seruatorem nostrum adorent.

Neque firmum argumentū est, Christus in hoc sacramento dat corpus & sanguinem suum, imō semetipsum. Ergo flexione genuum manuum & oculorum ad id subleuatione, in eo adorari debet. Christus dicit, se & Patrem venturos ad eum, qui sermones suos custodit, & facturos habitationem apud eum. Et D. Paulus ait, Christum habitare per fidem in cordibus fidelium. Verum inde non sequitur, quod idcirco coram piis & fidelibus hominibus procumbere, manusque & oculos erga eos attollere debeamus, vt Christum in eis adoremus.

Dat quidem Dominus seipsum in nobis in sacramento verē & essen-

Vide Cyprianum  
Sermonem  
de veneratione  
Christi  
in principio  
de ornamentis  
visibilibus, &c.  
Item Origenem in  
Numero 5  
Homil.  
23. cap.  
28.

tialiter, verum non ea ratione, vt corporalibus oculis eū contēplemur, sed oculis fidei, quemadmodum omnes ore fidei eam percipimus, ac verè manducamus. Hæc actio cœlestis est, non huius mundi. Nemo sanè fatetur, se cogitare, quod Dominus localiter in sacramento includatur, vel loco affigatur. Canitur sursum corda, non, Huc corda. Necessè enim est, vt mens humana ex vniuerso mundo ultra omnia sensibilia sese attollat, ac Dominum per fidem in cœlesti gloria sua apprehendat, percipiat ac manducet.

Quamobrem efficit quidem vera fides, vt apud sanctissimam hanc actionem procidamus, aut genua flectamus, quando sacrosancta verba Domini, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c. Accipite bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus, &c.* audimus. Eodem modo cum sacratissimum hunc cibum & potum in sacramentis percipimus. Cæterum existimare, quod gratum & acceptum cultum Domino nostro Iesu Christo præstemus, quando coram sacramento, cum id ostenditur, exponitur, aut deportatur, nos ipsos prosternimus, genua flectimus, ipsum intuemur, manus & oculos versus id attollimus, etiamsi illud non sumamus, comedamus, & bibamus, id certè non modo non ex verbo Dei probari potest, verum etiam iuxta verbum Domini, *Accipite, comedite, bibite,* nequit consistere, vt iam ante demonstratum est, & vnicuique fidei in promptu est cognoscere.

Quod enim continuò manducatur & bibitur, id sanè exponi aut deportari nequit.

Ad hæc veneratio ac cultus Dei etiam non potest, sed potius oportet contēptum esse Christi Domini velle manifestum eius mandatum iuxta cæcā stolidāque rationem nostram mutare & corrigere.

Cumque hoc modo homines coram pane & calice sese prosternunt, manus & oculos erga ipsam attollunt, de quo nec Dominus, nec Apostoli quicquam docuerunt: sacramentis verò non communicant, nec verba Domini meditantur & perpendunt, quod tamen Dominus admodū seriò mandauit, quid aliud hoc iudicare potest, quàm quod Christum Dominū nostrū localiter in panē includantur, vel panē affigant, eūque hac ratione rursus in terrestrem hanc conuersationem & vitā detrahere velint? Cum tamen deberent seipsum per fidem continuò à visibilibus signis ad inuisibilia dona: à terrena conuersatione, ad cœlestem attollere, ac Christum Dominum & Deum nostrum in Spiritu & veritate adorare, hoc est, intimis animi cogitationibus meditari, quod Christus pro nobis factus ac perpeffus sit: cū perpetuis laudibus celebrare, ei pro tam immensis beneficiis gratias agere, fidem in ipsum confirmare, amorē erga proximum inflammare, denique seipsum in omnem eius obedientiam plenissimè tradere. Hæc demum vera esset veneratio Christi Domini nostri in hoc sacramento, hic verus ac honorificus huius sacramenti vsus.

Quod si quis Arcam fœderis objicere velit, & Propitiatorium quod Dominus antiquo populo proposuit, vt coram eo adorarent, seipsum prosternerent, manus & oculos erga illud attollerent, nulla tamen conse-

consequentia ab hac Arca foederis & Propitiatorio ad Sacramentū duci potest. Dominus enim vtrunque antiquo populo suo cum amplissimis promissionibus in hunc finem ordinavit & sanctificavit, ut eum ibi adorarent, ac semetipsos per hoc symbolum & Sacramentum, de diuina ac clementi eius praesentia, promptaque voluntatis ad exaudendum, admonerent, atque hoc modo in fide corroborarent, & stabilirent. Panem verò & calicem in S. Cœna Dominus non eò ordinavit, & proposuit, sed ad manducandum & bibendum dedit, cum hac fide, quòd Dominus vnà cum istis symbolis corpus & sanguinem suum tradat in remissionem peccatorum, obligationem noui Testamenti, & solennem sui commemorationem celebrandam.

Haec de Veneratione Christi in hoc Sacramento, & verè honorifico eius vsu, ex verbo Dei dictum esto.

*Qua fuerit Antiquorum hac de re sententia ac fides.*

**Q**uod Antiqui S. Cœnam suam cum reuerentia tractauerint, dispensauerint, de eo satis multa indicia & argumenta extant. Quod verò Sacramentum adorauerint, coram eo prociderint, manus & oculos erga illud attulerint, auro & argento ornatum exposuerint vel deportauerint: lucernis, crucibus, suffimentis, cantationibus ac pulsationibus, omnisque generis instrumentis musicis venerati sint, eius non modò nulla reperiuntur vestigia, sed potius talia, ex quibus contrarium euidenter concluditur.

Suprà in articulo de Conseruatione Sacramenti citarunt Aduersarij ipsi, Romanos Episcopos solitos fuisse, peregrinis Catholicis Episcopis, qui Romam venissent, Eucharistiam solemniter transmittere. Commemorauerunt quoque Sacerdotem quendam Eucharistiam puero tradidisse, ut eam patri suo adferret, ac ministraret. Adhuc demonstratum in hoc libro est ex D. Cypriano, Tertulliano, & Hieronymo temporibus istorum Patrum Eucharistiam Laicis traditam esse, ut eam domum deportarent, & in cistulis suis ac peculiaribus repositoriis reseruarent. Vnde euidenter consequitur, veteres tunc temporis Eucharistiam non adorasse, neque eo modo, quem Aduersarij defendere conantur, veneratos fuisse, quemadmodum nec Apostoli in prima Cœna eam venerati sunt.

Honorius tertius qui ante paucos annos vixit & scripsit, videlicet Anno 1216. ordinavit ut Sacramentum in loco aliquo ad hoc deputato reponeretur, ac per fideles & pios custodes custodiretur: Sacerdos verò frequenter populum edoceret, ut cum in celebratione Missarum eleuatur hostia, vel cum eadem ad infirmos defertur, se reuerenter inclinaret. Ecce hic Papa, qui tantum ante trecentos & viginti nouem annos Papatum tenuit, ordinat primùm ut Sacramentum in aliquo loco & ad id destinato recondatur. Vbi erant tunc splèdidè ornata sacraria, & lapades coram ipsis ardentes. Irè, cum nihil amplius requirat, quàm ut homines coram Eucharistia se reuerenter inclinarent, vbi tunc temporis

erat prostratio, aliâque id genus corporalia seruitia, quæ postremis ac deprauatissimis Ecclesiæ temporibus in usu esse cœperunt? Verum posteaquam verus huius Sacramenti usus intercidit, facile fuit diabolo eiusmodi abusus introducere.

Iam verum quidem est, quod veteres in S. Cœna ostensionem panis adhibuerunt. Nam vt Dionysius in tertio capite de Eucharistia meminit, hic mos suo tempore obseruatus fuit, vt sacerdotes panem & Calicem primo velatum proponerent, & postquam Sacramenta confecissent, rursus ea detegerent, & in conspectum populi proferrent, ac deinde panem confestim in multas particulas diuiderent, & vnâ cum calice omnibus præsentibus distribuerent. Meminit quoque Basilius cuiusdam inuocationis vel Cognominatio- nis, *ἐπιδοχίας*, quam veteres in ostendendo pane gratiarum actio- nis, hoc est *ἀναστέλλει τοῦ ἄρου τῆς εὐχαριστίας* peculiaribus quibusdam & conceptis verbis, quæ Ecclesia ab antiquis sine scripto tradita acceperat, vsurparunt. Legitur etiam in libello de forma Græcica. S. Cœnam administrandi, quam ipsi *λατρυγίας*, hoc est, publicum officium appellant, quod Sacerdotes etiam proximè ante distribu- tionem, sumptionem ac dispensationem Sacramentorum panem eleuant. In ea Leitura, quam Leo Tuscus in Latinam linguam transtulit, legitur, quod Sacerdos panem modicum sustollat. De eleuatione calicis nulla fit ibi mentio: vt verisimile sit, eiusmodi venerationem apud Græcos non fuisse dissimilem illi, qua apud Latinos post dictum Pater noster, panis modicum sustollebatur, & à tergo assistentibus ostendebatur. Quamuis autem hæc de Ele- uatione & ostensione panis apud Græcos habentur, nihil tamen inuenitur de procidendo coram pane commonstrato: sed quod po- pulus antequam ostenditur panis, soleat se prosternere, post ora- tionem, in qua Sacerdos Dominum orat, vt se, Presbyteros nempe & diaconos sanctificare ac dignos reddere velit, quò sibi & per se toti populo, per potentem manum eius debet immaculatum corpus, & preciosum sanguinem suum, &c. Hac oratione dicta con- tinuò Sacerdos ac Diaconus in terram prostrati, in silentio di- cunt, Deus esto misericors mihi peccatori. Quo facto Diaconus clamatur, Attendamus: ac postea Sacerdos panem Domini monstrat, dicendo, Sancta Sanctis. Ad quod Populus (vel vt in aliis exem- plaribus legitur, Clerus ac populus: in postremo vero, Clerus) respondit, Vnus Sanctus vnus Dominus Iesus Christus, ad glo- riam patris. Amen. Adhunc descripta est hæc Liturgia in postremis Græcis libellis, qui Romæ ac Venetiis impressi sunt. Antiquiores nihil omnino habent de prostratione, neque de Oratione ista, Deus esto misericors mihi peccatori.

*In Liturgia Chrysostomi, post dictâ precationem Do- minicam: In Rubrica sic habetur: Inclinâs igitur Diaconus Græcis libellis, qui Romæ ac Venetiis impressi sunt. Antiquiores nihil con- pauerunt, & in- spiciens Sacerdotem adorantem, adorât & ipse: & orat secretò Gratiâs agimus tibi rex inuisibilis, &c. In qua oratione hæc profere verba: Respice hîc ad inclinantes tibi ipsorum capita: non enim inclina- uerunt carni & sanguini, sed tibi tremendo Deo, &c.*

Ex quibus

Ex quibus omnibus hoc colligi potest, quod etsi monstratio sacramentorum vetusta, & eleuatio non admodum recenter ab Ecclesia vsu recepta sit, tamen coram pane monstrato se prostertere, eum adorare, manus & oculos versus ipsam attollere: sacramenta verò, quod Dominus requirit, non percipere, recens est & antiquæ Ecclesiæ ignotus atque inauditus abusus, qui nõ magis consistere potest, quàm Adoratio ista, qua vereres Solem, Lunã, stellas, montes & excelsa, æneum serpẽtem, peculiaria altaria, & alia vel cœlestia vel terrestria diuinæ maiestatis opera & iudicia venerari consueuerant. Ad hoc enim vt coram aliqua creatura procidamus, manus & oculos erga eam attollamus, in eaque hoc pacto Deum pro auxilio & ope inuocemus, non satis est, vt eiusmodi creatura signum sit & imago diuinæ maiestatis ac potentia, sed præterea requiritur, vt ad talem vsum sint à Deo destinata, nobisque in verbo suo proposita, quemadmodum paulò antè dictum est. Homo enim, maxime verò pius homo excellentissima imago est, templum & sacrarium Dei ac Domini nostri Iesu Christi: quia non est præstantior vel in cœlo, vel in terra. Sic etiam Sol, Luna, stellæ, & omnis generis animantia, terræque nascentia præclara sunt opera, & indicia, potentia, sapientia, ac bonitatis diuinæ. Non tamen vult Deus, vt coram eiusmodi creaturis nos prosternamus, eumque in ipsis adorare tentemus: imò abominabile est in conspectu eius, quemadmodum testatur in scriptura sua. De honoris ac reuerentiæ signis, quæ Magistratibus & excellentibus hominibus exhiberi debent, supra in articulo de imaginibus satis dictum est.

Quamobrem cum manifestum verbum Dei habeamus de Sacramentis, nempe quod nos ea, & in eis Dominum ipsum corpus & sanguinem illius percipere, manducare & bibere debeamus (iuxta quod nulla Expositio vel deportatio adorandi causa consistere potest, debemus sanè hæc verba & mandatum Domini imitari, figmenta verò hominum de expositione & Deportatione dimittere.

Interim verò, quem Dominus in S. Cœna per verbum & sacramentum, vnã cum singulari gratia & benedictione semetipsum tradit nobis, ac præsentem demonstrat, debemus etiam ibi vera fide in spiritu & veritate adorare, idque procidendo in genua, aliisque id genus corporalis reuerentiæ signis contestari. Quemadmodum legimus Antiquos in terram prostratos, aliisque similibus honoris indiciis Deum adorasse, quoties se per verbum suum vel alia signa peculiariter eis patefecisset.

Seruus Abrahæ cum tantummodo ex responso Rebeccæ animaduerteteret, quod Dominus iter eius prosperasset, pronus in terram adorabat, Genes. 24. non Rebeccam sed Dominum. Quare etiam manus & oculos suos cœlum versus, non ad Rebeccam sustollebat. Sic Populus Israëliticus pronus in terram adorabat, cum Moses liberationem ex Ægypto ei annuntiaret. Exod. 4. quemadmodum in simili declaratione ac patefactione gratiæ diuinæ semper fecit. Quare fidelis quidem & Scripturæ consentanea conclusio est. Quoniam in S. Cœna Do-



minum in medio nostrum habemus, ipseque in sacrosancto sacramento se nobis tradit, ut etiam inibi eum adoremus. Verum non propterea debemus manus & oculos erga panem & vinum attollere, perinde ac si Christum Dominum nostrum localiter in eis includere, vel affigere velimus: sed panem & vinum, quamprimum nobis porrecta fuerint, summa cum deuotione mentis accipere, manducare & bibere, Christumque Dominum nostrum oculis fidei, in verbo ac promissionibus suis adorare, laudare, predicare, eique totos nos cum corpore & anima dedere. Hoc modo in & apud hoc sacramentum, verè ipsum adorabimus in spiritu & veritate.

Nemo equidem est, qui ex pane & vino, vel speciebus panis & vini Christum Dominum ipsum faciat, vel eum localiter in ipsis includat, aut naturaliter eis alliget. Quilibet sinit esse signa, quibus Dominus semetipsum, verum corpus ac verum sanguinem suum nobis exhibet. Quamobrem affirmari non potest, Deo placere, imò ipsum velle, ut coram symbolis istis procidamus, ea adoremus, & alia id genus reuerentię signa illis demonstramus, sicut id debemus facere erga Christum Dominum ipsum. Cùmque nec verbum Dei, nec exemplum de eo habeamus, quod debeamus erga symbola ista adorare, dicat verò aliquis, nos non modò aliorum sanctorum, verumetiam ipsius Christi Domini nostri exemplum habere, de cælo, ac veteres de arca fœderis habuisse, tamen argumentum à cælo, & arca fœderis, ad signa ista non concludit, præsertim cùm præceperit nobis Dominus, hæc Symbola S. Cœnæ manducare ac bibere, non autem sicut arcam fœderis adoranda proponere vel custodire. Christianus semper ad verbum Dei intendat, ipsum adoret ac veneretur, quemadmodum Deus præcepit: atque hoc modo in nullum errorem incurret.

*Solutio Obiectionum ex Patribus.*

**P**rimò citant Aduersarij duo dicta D. Augustini: vnum ex interpretatione Psal. 98. alterum ex expositione Psal. 21. iuxta vulgatam distinctionem. In primo dicit hic S. Pater, neminem manducare carnem Christi, nisi prius adorauerit. Non dicit nisi adorauerit eam. Nam ut antea dictum est, quotiescunque de diuina maiestate & bonitate vel verbis vel signis peculiariter commonefacti sunt, procidendo adorauerunt: non signa in quibus gloriam suam Deus illis præfecerat, vel erga talia signa, sed Dominum ipsum, idque vel inclinatione, vel prostratione corporis vel manuum versus cælum eleuatione, vel aliis id genus signis à Domino ipso ad hanc rem destinatis & institutis. Sic & in altero dicto simpliciter positum est, Adorauerunt, non, Adorauerunt carnem Christi.

Verum sit sanè quòd expressè locutus sit de adoratione carnis Iesu Christi, longè tamen aliud est, Carnem Christi adorare, quàm panem, vel erga panem adorare. Imò ut D. Augustinus inquit, peccamus non adorando carnem Domini nostri Iesu Christi. Cæterum in spiritu & veritate ado-

adoranda est, non in pane tantum, hoc est, oportet ut ipsum Seruatorem nostrum Christum laudemus ac celebremus, quod propter nos caro factus est, carnem suam Patri in cruce pro nobis obtulit, atque etiam nū in cibum vitæ æternæ nobis communicat: per quam ad salutarē ac beatam resurrectionē nos perducere vult, cum plena oblatione carnis nostræ, in omnē voluntatem eius. Hoc modo fideles omnes Dominū adorant, eamque adorationem in S. Cœna flexione genuum, aliisque corporalibus honoris ac reuerentiæ signis contestantur, & ante & post huius Sacrosancti Sacramenti perceptionem: quam consuetudinem Liber Reformationis non modò non reiicit, sed etiam docet:

De similitudine & discrimine S. Baptismatis & Cœnæ Dominicæ vltcrius agunt Aduersarij, scribentes, Aquam Baptismatis non adorari, quemadmodum adoratur panis Eucharistiæ, cum non sit ibi corpus Christi reipsa præfens, sicut in S. Cœna, neque fiat ibi vlla transmutatio, sicut in Sacramento altaris. Hanc orationē inspiciat ac perpendet Christianus Lector, Quando Baptismus rectè administratur, tunc baptizatur Deus Pater, Filius, ac Spiritus S. in cuius nomine baptismus ministratur. Quomodo igitur Christus Dominus non est ibi reipsa præfens? Adhæc cum fideles in nomine Domini apud Baptismum conueniant, quī fieri posset, ut non esset in medio illorum, iuxta promissionem suam? Præterea iam ante demonstratum est, transmutationem substantiæ panis & vini in Sacramento Eucharistiæ, falsum esse & inane figmentū. Verum ponamus, quod reuera talis conuersio fiat, quemadmodum nonnulli Doctores Scholastici confinxerunt, quid tamen valebit ad comprobandum, quòd idcirco debeant homines se coram effigie ac simulachro panis prosternere, & illud adorare? Hinc vnicuilibet Christiano in promptu est cognoscere, quòd ambo Sacramēta Baptismatis ac Cœnæ dominicæ in eo, quod Aduersarij ponunt, non modò non differant, verum etiam sint similia. Nam Christus Dominus in vtraque re ipse præfens adest, ibique in spiritu & veritate adorari debet.

Quod verò Aduersarij vltcrius scribunt, Veritatem & virtutem Sacramenti Baptismatis præcipuè sitam esse in administratione: ac putant ea in re S. Cœnam à Baptismo differre, nouerunt omnes pij Christiani, virtutem ac veritatem Baptismatis non modò præcipuè, sed penitus in administratione positam esse: nempe ut homo baptizetur in nomine Patris Filij, & Spiritus S. Nam ut D. Augustinus ait, *vbi accedit verbum ad elementum, eique fides habetur, in quem finem ad fideles pronuntiat, ibi iam primū est Sacramentum.* Vnde hic idem Pater vltcrius dicit, *Et in aqua verbum mundat, Aufer verbum ab aqua, & quid aliud remanebit quàm aqua?* Hæc D. Augustinus in Ioannem, Tract. 80. *Vides aquam sine verbo nihil aliud esse quàm aquam?* Vbi est igitur illa virtus Consecrationis Baptismi? Iam verò verba Baptismi non nisi inter Baptizandum, & ad administrationem huius Sacramenti adhibentur. Quare veritas & virtus istius Sacramenti non tantum præcipuè, ut Aduersarij scribunt, in administratione consistit, sed penitus & omnino.

Ad hæc neutrum istorum Sacramentorū ab altero in eo differt, quod vnus essentia ac virtus in administratione collocata sit, alterius verò nō item: quin potius in eo conueniunt, quod vtriusque veritas & virtus in administratione posita est, quæ fieri debet iuxta institutionē Domini, cū dispensatione verborum eius ac symbolorum, ea omnino ratione, ordine ac modo, quo ipse id prius fecit, nobisque ad faciendū instituit. Nam quemadmodum in Sacramento Baptismatis ministrum esse oportet, qui Baptismum ministraret, & eum cui ministratur, ac demū Sacramentum Baptismatis ipsum, quod nō aqua per se, sed in aquam immersio, vel aquæ perfusio, coniuncta cum istis verbis, Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic etiam in S. Cœnæ administratione se res habet. Ibi enim necesse est, esse ministrum & eos qui hoc Sacramentum percipiant, & deinde Sacramēta ipsa, nempe verba & symbola à Domino instituta. Expressè enim mandauit, vt idem faciamus in S. Cœna, quod fecit ipse. Assumpsit autem ad se discipulos suos, acceptoque pane, gratias egit, fregit, ac dedit discipulis suis, his verbis, & expresso mādato, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c. Accipite, bibite, Hic est sanguis meus, &c.* Hinc acceperunt & obseruarunt Ecclesiæ istam consuetudinem, vt in præparatione seu confectione huius Sacramenti, hæc verba Domini, *Accipite & comedite, &c. Accipite & bibite, &c.* pronūciant. Apud veteres cū Græcos tum Latinos, sacerdotes hæc verba clara & eleuata voce ad vniuersum populum pronunciabant: populus verò ad ea respondebat, Amen. Illud idem requirit Ordinatio in Liturgiā Græca, quæ nomine D. Chrysoptomi inscribitur, ac non ita pridem Romæ & Venetiis typis excusa est.

Cū igitur hæc verba, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, &c. Accipite bibite, hic est sanguis meus, &c.* tanquam verba Dei & Saluatoris nostri, non quidem inaniter, sed eodem modo quo Dominus ea locutus est, in S. Cœna pronuntianda sint, omnes veri Christiani istis Domini & vnici eorum magistri verbis fidem habebunt, & imitabuntur, atque hoc Sacramentum sine communicantibus, qui id recipiant, nec celebrabunt, nec vsurpabunt. Atque hoc modo virtus & essentia huius Sacramenti non minus in administratione cōsistet, quam Dominus instituit, & præcepit, quàm Sacramenti Baptismatis. Eodemque modo panis sine his verbis Domini, *Accipite, comedite, &c. Accipite, bibite, &c.* iisque firmiter creditis, nihil aliud erit, quàm panis: quemadmodum aqua nihil aliud manet quàm aqua, si ab ea Baptismatis verba remoueantur. Dominus enim non simpliciter de pane dixit. Hoc est corpus meū, & de Calice, Hic est sanguis meus: sed postquam panem in manus accepisset, gratias egisset, ac fregisset, tum demum dedit eum discipulis suis, ac dixit, vel potius præcepit, *Accipite comedite, accipite bibite. Et, hoc facite in mei commemorationem.* Post hæc primū dixit, *Hoc est corpus meū, hic est sanguis meus. Hoc facite in mei commemorationem.* Quoniam igitur Dominus omnia hæc verba sua, & vniuersam S. Cœnæ actionem, quasi in fasciculo colligauerit, nobisque idem facere præcepit, quod fecit ipse: nobis certè nullo modo licet hæc sanctissima verba & actiones dirimere

rimere ac dissecare, ut in sacra Cœna tantum modo Sacramentalia hæc verba pronunciemus, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Mandatum verò Domini, *Accipite, comedite, accipite bibite,* velimus sciungere, quemadmodum Scholastici Doctores fecerunt, seducti per abusum custodiendi ac referuandi panem & vinum, qui tam antè inuaserat. Ex his clarè patet, Veritatem ac virtutem sacramenti Eucharistie, non minus in administratione verborum Christi ac symbolorum, sicut eam Dominus instituit ac præcepit, collocatâ esse, quàm sacramenti Baptismatis, quòdque ambo sacramenta, quantum ad hanc rem pertinet, similia sint, & vnius eiusdemque naturâ: non autem discriminata, sicut Aduersarij tradunt, tantummodo vt abusum suum, quo panem vt adoretur exponunt ac deportant, confirmare ac stabilire queant. Iudicent hæc omnia Christiani ex verbo Domini.

Amplius pergunt accusare Liberum Reformationis, quod vniuersam Ecclesiam Christi condemnet, propter expositionem & deportationem huius sacramenti. Et ad ostendendum, quàm iniqua hæc condemnatio sit, adducunt auctoritatem D. Irenæi, qui Victorem Papam suis temporibus Ecclesias aliquot particulares propter obseruantias quasdam externas, Euangelio non contrarias damnantem, acriter reprehendit, quod non rectè fecerit, damnando tot & tantas Ecclesias Dei quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent, vt legitur apud Eusebium, in Eccles. Hist. lib. 5. cap. 24.

Hoc loco videas Christiane Lector istorum hominum improbitatem. Liber Reformationis condemnat eum abusum, quo S. Cœnam non quemadmodum Christus instituit & mandauit, administratur ac percipitur, ad corroborationem fidei in Dominum nostrum Iesum Christum, & profectionem vitæ eius in nobis: sed sacramentum tantummodo monstratur, exponitur ac deportatur, ad corporalem venerationem, quàm Dominus non præcepit: falsamque fiduciam, quæ in eiusmodi humanis figmentis collocatur, stabiliendam: id quod Christus prohibuit, estque abominatio in conspectu eius. Hos abusus damnat Liber Reformationis, non autem Catholicas Ecclesias, quibus Dominus facillè ignoscere potest, quod aliquando sacramentis per ignorationem abusa sint: quamuis Catholica & vniuersalis Ecclesia de hac sacramenti expositione & deportatione nihil omnino nouit: ea enim vel nostris temporibus apud Indos & Græcos non est in vsu: apud Latinos iam primum antè trecentos annos exorta est, per Papam Urbanum tertium. Quamobrem Aduersarij vim & iniuriâ inferunt Catholicæ Ecclesie, cū Papisticorum sacerdotum abusus ei adscribunt. Quemadmodum Liber Reformationis, quoque dicendo, quod vniuersam Ecclesiam Christi condemnet, cū tantummodo vnum aliquem perniciosum abusum damnat perfidorum antistitum earum Ecclesiarum, quas adhuc Papa eiusmodi errore implicitos ac irretitos tenet. In quibus tamen adhuc multi quoque Filij Dei sunt, qui ex ignorantia delinquant, facientes quicquid Antistites eorum instituunt ac faciunt, quandoquidem ipsi meliora ignorant. Hoc verò non faciunt, quatenus membra sunt & Ecclesia Iesu Christi, sed qua-

tenus infirmi sunt ac multa ignorantis cæcitate circumfusi homines: id quod Deus Pater noster cœlestis, propter dilectum Filium suum, vā cum aliis peccatis & erratis clementer ignoscet, vt antea dictum est.

Quod verò Aduersarij Irenæum obiiciunt, reprehendentem Victorem Papam, attende quæso Christiane Lector, quā directè & integrè hoc ab eis factum sit. Papa Victor conabatur Ecclesias Asiaticas, aliâque in vicinis prouinciis ex cōmunicare, propterea quod festum Paschatis non eodem tempore obseruabant, quo obseruabatur Romæ: de quo tamen Papa iste nullum omnino verbum Dei habere poterat. Liber verò Reformationis nullam Ecclesiam propter vllam consuetudinem ritūque externum, qui verbo Dei non aduersatur, excommunicare conatur. Verum sacrosanctum sacramentum Cœnæ Dominicæ ad externam ac superstitiosam pompam exponere & deportare, quemadmodum apud Aduersarios fieri consuevit: veram autem perceptionem & manducationem, quam Dominus præcepit, negligere, horrendus & detestandus est huius sanctissimi sacramenti abusus: & manifestè cum verbo Dei ac fide pugnat. Hic est, quem Liber Reformationis damnat, ac meritò quidem: imò Deus ipse in verbo suo dudum eum condemnauit.

At hoc modo clarum est, Aduersarios in eandem Irenæi reprehensionem incidere, non Librum Reformationis. Ipsi enim plurimas Ecclesias, tanquam schismaticas & hæreticas condemnant, non tantum propter ædificantem externarum & indifferentium rerum mutationem, verum etiam propter necessarios quosdam ritus, à Christo nobis mandatos & institutos, quos Ecclesiæ istæ libenter in Ecclesiasticum reuocarent, quemadmodum reuera res se habet de tota Correctione S. Cœnæ Dominicæ. Verum de hoc in sequentibus articulis.

*De vera Veneratione Christi Domini apud Sacrosanctum Sacramentum.*

CAP. LXXI.

**P**ORRÒ Aduersarij vt ostendant Librum Reformationis externam sacramenti venerationem cum auro & argento, immeritò reiicere, allegant præclarum exemplum Constantini Magni, & nonnullos quoque Canones: postea concludunt his verbis, Quicquid in Dei honorem ad honorificam & dignam conseruationem sacramentorum deuotione Christiana impenditur, nequit profectò esse malum.

*Responsio.* Quid de extruendis & ornandis Templis, item de pretiosis vasis mysticis in Christianismo sentiendum sit, de eo iam antè dictum est, in defensione Articuli de Bonis operibus & Oblationibus. Porrò quantumuis Papa Damasus, vel alij Constantinum prædicauerint, propterea quòd multos calices & patinas ex auro argentoque fabrefactas ad signissimi istius sacramenti honorem contulisset, laus tamen Exuperij

Laure